

erum est substantia aqua, mixta cum substantia terrea commixtione forti, ut vnum ab altero separari non possit: quare congelatur substantia aqua illa cum frigore magis post actionem caloris, & erunt ideo ductibilia seu fabrilia: & non congelatur sola aqua nisi cum siccitate terrestri, quae alterat aquositatem, cum in ipsis humor non est vnguerosus: quia congelatio eorum est siccitate terrestri, ideo faciliter non soluuntur, nisi per actionem caloris vehementem in ipsis, secundum quod sunt fortius, ac fortiter commixta:

*Quomodo ex Mercurio generantur metalla
in speciali. CAP. III.*

Rerum omnium liquefactibilium natura ex argento viuo est & sui substantia, eodem propter idem argentum viuum coagulatur ex vapore, sine calore sulphuris albi vel rubei non vrentis. Vnde Aristoteles quarto Meteororum: Si sulphur albū non vrens fuerit, conge lat Mercurium in argentum bonum. Si verò sulphur fuerit purum cum tubore claro, & in eo fuerit vis igneitatis simpliciter non vrentis, conge lat in aurum purissimum melius quam minera produxit: quia omne sic cum naturaliter bibit suum humidū, ut in suis partibus sit continuatū. Vapor ergo sulphuris argentum viuum coagulantis, est ex substantia terrea, subtili, aërea, decocta & digesta à commixtione prima, sibi unita actione caloris, postea eleuata, decocta, & digesta, donec habeat vim sulphuream coagulandi argentum viuum in corpora metallica. Sed quando sulphur fuerit simplex vel adurens, perfectionem vel imperfectionem causat in metallis, sicut post patet exemplum de his, quod ipsum primam materia sit argentum viuum: quoniam cum liquefiunt, per calorem conuertuntur in ipsum. Certum est ipsa antea fuisse argentum viuum, quia omnis res de eo est, in quod resoluitur. Exemplum de glacie.

*De generatione Mercurij & quæ metalla ex eogen
erantur. CAP. IIII.*

Argentum viuum in prima sui radice est compositum ex terra alba, subtili, nimirum sulphurea, cum aqua

